

ANTITHESIS.

Errant i. Qui putant, peccatum in Spiritum Sanctum olim quidem potuisse committi, quando Christus visibiliter docebat; hodiè non item dari posse hoc. Sententia hæc placuit *Socinianis, Arminianis & Hugoni Grotio.*

- 2. Pontificii,** qui ampliant terminum peccati in Spiritum Sanctum. Non tantum quamvis impoenitentiam ita vocant, sed etiam illud, quando quis neget bonorum operum ad vitam aeternam necessitatem, & si quis rejiciat testimonium Ecclesiæ.
- 3. Calviniani,** propter doctrinam de absoluto decretô volunt hoc peccatum tantum in hominem irregenitum cadere posse.

ARTICULUS VII. DE LIBERO ARBITRIO.

APHORISMUS I.

Consequens peccati peccatoris servitus est, quatenus is, debilitatâ ad bonum morale, amissâ autem penitùs ad bonum spirituale, libertate arbitrii, in omnibus actionibus suis peccat, & ut mortuus spiritualiter non tantum ante conversionem se ad gratiam præparare nequit, sed nec prævenienti gratiæ vel excitanti cooperari, verum primis ejusdem motibus naturaliter resistit, ablatô vero naturali obice patitur. se converti, & post conversionem instructus novis viribus Spiritui Sancto in exercitiis fidei cooperari quidem incipit, sed cum luctâ carnis perpetuâ, quâ impeditur, quo minus in sanctificationis opere DEO & sibi secundùm desideria Spiritûs faciat satis.

De statu
servitutis
hominis
peccato-
ris.

L 3

EXPLI-